

V I M
E L E M E N T O R V M
R E P R A E S E N T A T I V A M

D I S S E R T A T I O N E M E T A P H Y S I C A

A. D. XX FEBR. MDCCLXI

P V B L I C E A S S E R V N T

P R A E S E S

I O A N N E S D A N I E L T I T I V S

M A T H. I N F. P R O F. O R D.

E T

R E S P O N D E N S

M. C H R I S T I A N V S A V G V S T V S H E R Z O G

Z I T T A V I E N S I S

W I T T E B E R G A E

I M P R I M E B A T E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D

A C A D. T Y P O G R

Philos.

B.

1,50

Man. des. Fasc. XXIII. 6.

VIM

M V R O T O R V M

REPERSENTIAM

DISTANTION MEXICANA

D. X. FEBRUARII

1711

FRANCO

JOHANNES DANIEL WITTMANN

M. D. C. C. C. C. C.

1711

LEIPZIG

AT CHRISTIANUS AUGUSTUS HERZOG

LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



DE
ELEMENTORVM
VI REPRAESENTATIVA

Elementa, sic enim simplices res, quibus corpora componuntur, Metaphysici vocant, philosophis maxime recentioribus exposita demonstrataque sunt diligentissime; ut videatur in re usque adeo discussa nouae descriptionis locus esse nullus iam posse. Hunc tamen, ut in re tam simplici perpetuo quidquam later, mihi videor inuenire in earum vi repraesentatiua, cuius explanationem in praesens suscipio. Est enim propter abstractionem, qua multos confundit, et propter dissensiones, quas inter ipsos assertores monadum excitauit, dilucidatione digna. Hanc ergo paucis vim exponam. Namque animus mihi non est, elementorum simplicitatem, quae ad eorum repraesentationes maxime requiritur, comprobare, siquidem eandem, post Leibnitium, iam dudum alii, quorum autoritas uel sine demonstratione multum valet, commonstrant, et saniores amplius in dubium non vocant

Quod uero ad vim elementorum attinet repraesentatiuam, quaesitum est, an id, quod Leibnitiuſ, qui in ea definienda prius, et in asserenda fere vnus diu fuit, eius confirmandae causa passim prodidit, verum esse, omnino demonstrari posset? Quam nobilissimam quaestionem, quemadmodum tantum abest, vt multi tetigerint, vt potius, fastidito vis repraesentatiuae nomine, intactam penitus reliquerint; sic operae esse pretium puto, ea de re, quae forte mihi perspecta sunt demonstrata, huc conferre, et potiora, quibus istam adstrui vim oportet, breuiter declarare.

Corporum elementa, quae, vt simplicia, partibus carent, non habent, quod in eis realiter fit diuersum. Ergo, cum simplex affirmatiue definitum sit id, in quo omne, quicquid inest, vnum est et idem, siue cuius ingredientia sunt in se vnum et idem; notae, quibus gaudet elementum, omnes eadem, omniaque, quae insunt essentialia, reapse eadem sunt. Inde Leibnitium ista, arbitror, entia simplicia monades appellasse; tum, quod vocabulum isthoc non tam vnitatem entis, in qua simplex item et compositum conueniunt, quam vnitatem eius, quod ipsum ingreditur et constituit, denotat; tum, quod ad entis naturam simplicis definiendam inprimis aptum est. Etenim si quod ens ingrediuntur plura, eaque diuersa et multiplicia, id compositum est; si vero omne, quicquid inest, vnum est et idem, eius entis vlla est neque compositio, neque extensio, neque diuisibilitas, neque alia rebus competens compositis affectio.

Id vnum, quod constituit ens simplex, facile cognoscitur, vim esse, modo elementa ipsa aliquanto penitius scrutemur. 1) Sunt nempe res simplices, e quibus, tanquam primis staminibus, tanquam partibus primitiuis componuntur corpora et res materiales. Ergo separatim existunt et extra se inuicem. Sed cum existere seiunctim non possunt, nisi gaudeant vi, partim ad sui existentiam continuandam, partim ad largiendam in vnione existentiam rei compositae;

positae;

positae; vis vnum illud est, quod rei tam simplici inesse potest. 2) Elementa sunt entia simplicia e quibus corpora constant, et quae rationem omnium eorum, quae in iis fiunt et contingunt, ultimam in se continent. Sed in corporibus continua accidit mutatio, et quouis momento alia atque alia sibi succedunt; Ergo elementorum statum continuo mutari oportet. Omnis vero mutationis principium est vis; ergo vis elementis competere debet. 3) Elementa non solum extra se existunt, sed in vnione cum aliis simul existunt; at vero coexistentia cum aliis sine potentia ad coexistendum sufficiente, consequenter sine vi cogitari nequit; cuius cum ratio interna haberi neque in tempore, neque in spatio, neque in vlla re finita alia queat, relinquatur, vt in ipsis elementis insit. 4) Elementum existit alicubi, ergo et operatur, et agit quidquam; agere enim et operari aliquid, dicitur alicubi existere: sit illud apud rem aliquam, sit inter res alias plures. Quare qui rei cuiusdam existentiam alicubi asserit, non spatium aut locum, in quo existit, sed meram rei cuiusquam actionem operationemque asserit. Iam quicquid operatur, id vi operari debet; ergo quodlibet elementum vi praeditum est. 5) Res finitae, quaecumque extra Deum existunt, aliquam cum Deo similitudinem, quantam capere possunt, habere debent; id quod fini Dei ultimo, manifestandae eius gloriae, maxime conuenit. Cum vero Deus, ens simplicissimum, vi gaudeat summa; sequitur, vt ceterae, praeter eum, res simplices vim habeant sibi conuenientem. 6) Omnia entia simplicia, vt finitae res in genere, ad certum quendam finem condita sunt, vt per ea quidquam possit obtineri atque effici. Itaque necesse est, vt ratione gaudeant et principio, quo aliquid efficiatur. Sed, cum sine vi nihil vnquam agi possit et ad effectum deduci, patet simplicibus rebus, quin et elementis, vim inesse oportere.

Vis igitur elementis propria, vnum illud est, quo ab se inuicem, et ab aliis rebus omnibus, differunt. Non enim in natura rerum, neque ideo in elementis, exacte similia sunt. Iam, qua simplicitatem omnia elementa inter se conueniunt; hinc extra se

posita interno gaudere debent aliquo sui discrimine, quod, quoniam in ipsis praeter vim nihil datur, in sola vi deprehenditur, cuius quidem qualitatem nunc paucis perquiram. Elementum, quicquid mutatur, id sola vi necesse est, mutetur. Quaelibet autem vis, siue ad semet ipsam, siue ad alias res relata externas, secundum directionem et celeritatem differt. Directio et celeritas tot variare modis possunt, quot sunt elementa. Scilicet directio non est, nisi relatio ad alia et in specie ad plagas; quotlibet vero elementum tot modis peruenire ab vna plaga ad alteram potest, immo tot relationes ad plagas ipsas habet, quot sunt elementa circumposita alia. Totidem ergo modis, directionis ope, elementum variat. Idem de celeritate dicitur. Gradus eius, veluti ipsa celeritas, oritur, cum tempus ducitur in distantiam. Iam tot sunt distantiae vnus elementi ab aliis, quod habentur elementa circumposita alia. Ergo tot sunt celeritates cuiuslibet elementi, quot existunt circumquaque elementa, praeter illud, alia. Porro elementa ordine coexistunt, qui spatio atque tempore absoluitur, adeoque relationem ad alia aliaque externa inuoluit. Hinc, in elementis ratio quoque externa habetur, cur sic, et non aliter, quouis momento inter alia existunt. Et illa quidem ratio externa in spatio atque tempore continetur, id est, in relatione ad alia, nunc coexistentia nunc successiva, elementa.

Directio alicuius vis nisum eius ad certam quandam plagam infert; et cum plaga elementi dicatur respectus eius ad alia coexistentia, in directione datur nisus elementi ad coexistentiam cum aliis aliisque relatiuam. Talis nisus in qualibet substantia nascitur ex praecua representatione rei, ad quam nititur. Ergo quodlibet elementum nisu suo aliquorsum tendens, representationem eius rei, ad quam tendit, habet. Ad haec, vis elementi celeritatem exferere aliter nequit, nisi pro distantia ab illa, ad quam fertur, plaga in tempus ducta. At vero distantia spatio definitur inter duos terminos interiecto. Ergo in distantia datur relatio termini a quo et termini ad quem eorumque similis situs, cuius ope ab

vno

vno ad alterum perueniri possit. E quibus patescit, ab ente quod ab alterutro terminorum ad alterum tendit, hanc situs similitudinem exhiberi, eique necessario inesse distantiae repræsentationem. Tandem situs, quo quodlibet elementum cum ceteris coniunctum est, nexum et directionem versus alia, consequenter repræsentationem requirit, quam adeo, etiam qua situm, dari in elementis patescit.

Praeter ea, quae ex ipsa vi elementorum indole deducta sunt, alii vim comprobandi repræsentatiuam modi suppetunt, quos breuissimis recensebo. Qualis demum sit illa elementorum vis? rogatus respondeo: talem eam esse, qualis ex ipsa simplicium essentia legitime deducitur. Elementa enim, veluti entia simplicia, in essentialibus communibus simplicibus ceteris debent congruere. Iam Deus, ens simplicissimum, vi gaudet repræsentandi sibi res, possibiles et actuales, in vnum omnes, maxima, quae esse potest, distinctione. Anima humana, ens simplex, vim habet percipiendi res distincte; brutorum animae vi gaudent res confuse tantum et clare percipiendi; immo in anima nostra status dantur distinctae, cum vigilamus nostrique nobis sumus conscii, et status confusae repræsentationis, vt in somno profundo, deliquio animi cet. Quoniam autem isti gradus repræsentationum diuersi, ad constituenda entium simplicium genera varia, seorsim deprehenduntur; recte per analogiam concluditur, entia, si quae praeter enumerata existunt simplicia alia, similiter vi repræsentatiua, tanquam determinatione simplicium essentiali, praedita esse. Id enim, quod de Deo, animae humanae, spirituum reliquorum, animarum brutarum, ceu rerum simplicium essentiis, verum est; nonne eodem iure de essentia monadum, tanquam speciei sub eodem contentae genere, dicendum est? Atque haec est ratio argumentandi, quae Leibnitium, summum virum, vt vim monadum primus perceptiuam appellaret, commouit, quam, etiamsi satis distincte intelligeret, et ad eam explanandam plurima post se reliquerit ingenii monumenta; tamen demonstrare vltius haud in animum induxit. Qua cum nihil verius sit, bona cum lectoris venia, eius stabiliendae causa, aliis quibusdam vtar argumentis.

Vt

Ut vis elementorum in genere ex similitudine qualicunque rerum simplicium cum Deo antea deducta est; sic ex eadem earundem vis repraesentatiua recte demonstratur. Quaelibet realitas rebus extra Deum competens manifestandae eius gloriae causa ipsis inest, et similitudinem quandam, licet valde inaequalem, cum perfectione simili, sed infinita, habet. Nam quo propius ea, quae rebus finitis insunt, similitudine ad Deum accedunt, eo perfectiora sunt, eoque magis gloriam Dei illustrent. Quam ob rem, cum Deus vi gaudeat repraesentatiua, perfectissima, id est, intellectu infinito et summo; elementa, quae sunt simplicia infimi gradus, saltem aliqua repraesentandi vi, quantum pro suo modulo capere possunt, praedita esse oportet.

Relationes rerum finitarum secundum varias rerum aliarum determinationes sunt, ut secundum identitatem, magnitudinem, aequalitatem et sic porro; quae tamen omnes ad simplices res transferri nequeunt. Hae enim ad alias res comparari non possunt, nisi quoad similitudinem et intensitatem virium. Eiusmodi relatio elementi, quae ad ens compositum similitudine fit, dicitur repraesentatio, ergo elementis aliqua est repraesentatio; quae quidem sola efficit, ut in mundo tam multae res alterius rei similitudinem exhibeant, aliaeque aliarum sint imagines. Qua de re in sequentibus! Hinc quoque ratio, cur quaelibet elementa ad constituendum quodlibet corpus tantum apta sint, perspicitur; siquidem elementorum determinationes et modificationes quibusdam compositis magis, quibusdam minus similes sunt.

Corpus, quando ex elementis oritur, per multorum, quae ob rationem sufficientem coeunt, unionem oritur, id est, per coniunctionem et immediatam coexistentiam plurium elementorum ob eundem finem, ad quem tendunt vires componentium elementorum, quemque iunctim melius consequuntur quam existentia separatim. Dum vero uniuntur, nunc maiori velocitate viriumque intensitate, nunc sub alia aliaue directione versus se inuicem feruntur;

runtur; adeo, ut pro ista varietate corpus modo continuum, magis vel minus, ut solidum et liquidum, modo contiguum componatur, aut interruptum. Istud unionis discrimen, quaeso, quam ex causa rectius deriuari poterit, quam ex diuersitate vis repræsentatiuae elementorum? Omnes enim repræsentationes variant pro gradu rerum propinquarum, item pro rerum tum repræsentantium tum repræsentatarum situ. Vis, quo propius ad alteram, contra quam agit, accedit, hoc fortius agit, et repræsentatio tanto, quanto obiectum, quod repræsentatur, propinquius est, familiarior fit, et maiori cum luce. Exemplo sunt magnetes in distantia minori fortius, in maiori debilius sese attrahentes. Exemplo etiam sunt omnia grauius proiecta, quorum celeritas iuxta ac vis pro incremento distantiae ab projectionis loco decrescit. Exemplo denique corporum est grauitas ipsa, quae in ratione distantiarum a centro telluris inuersa est. Quid denique situi elementorum in corporum compositione tribuendum sit, id vero poli magnetum amici et inimici, item diuersitas repræsentationum in diuersis corporibus ostendunt. Videlicet aliter aurum repræsentat cum sua flauedine, aliter argentum cum sua albedine, aliter cuprum cum sua rube-dine. Quarum quidem ratio repræsentationum vltima dari alia nequit, quam quae est in peculiari ista repræsentationum specie, qua elementa cuiuslibet metalli v. c. auri, argenti, cupri, inter se familia sunt

Similem in modum elementa corpus componentia vniuntur, atque vnita compositum faciunt. Sed vniri nequeunt, nisi propter mutuam perfectionem coeant, et immediate coexistentia arctissime iungantur. Talis vnio sine consensu virium ad idem obtinendum esse nequit; quaecunque enim coeunt inter sese plura, ea iunctim nituntur ad coexistentiam immediatam; qua demum facta partes, salua rei existentia, diuelli non possunt. Quapropter, cum consensus determinationem plurium ex iisdem ad idem rationibus factam, siue tendentiam ad idem inferat; patet in omni consensu inesse relationem et exhibitionem similitudinis plurium, ideoque rerum con-

B

sistentien-

sentientum de scopo consequendo perceptionem. Illa enim, inquit Exc. Hanouius, vnio materiae aptae, per quam fit ortus corporum naturalis v. c. crystallorum salium, neque dissolutio et interitus naturalis, sine determinata per praeuiam perceptionem intentione, satis concipiuntur. Idem ex perfectione rei materialis cuiuscunque, et ex perfectione mundi totius ostendi potest. Perfectionem efficit omnium in vno, ad idem obtinendum, consensus. Quare, cum omnes res mundanae respectu virium suarum consentiant, atque ad vnum consequendum, id est ad gloriae manifestationem diuinam iunctim tendant, partim per suamet propriam, partim per rerum coexistentium aliarum perfectionem, quomodo ex his elementorum repraesentatio possit induci, ratio in promptu est.

Porro vis elementorum alia esse nequit, quam ea, per quam vires rerum materialium explicari possunt. Namque in corporibus nihil deprehenditur, quod non sit in elementis radicatum; ergo et vis corporum motrix, atque vis inertiae, ex ista elementorum vi, qualis qualis ea demum sit, necesse est, deducatur; cuius rei iam nunc periculum faciamus. Scilicet, si cogitemus repraesentationem elementi id esse, quo vis eius ab vi reliquorum differt elementorum, facile perspicitur, eam reapse id, quod cuiuslibet elemento proprium est, constituere. At vero si cogites, repraesentationem rerum externarum variari in elemento non posse, nisi punctum situs ipsius, pro quo nempe obscura fit repraesentatio, inter easdem varietur; quilibet cognoscit, mutationem repraesentationis in elemento, quae quidem perpetuo eadem esse nequit, mutationem situs eius et loci inter alias res coexistentes, consequenter ipsum elementi motum inferre. Itaque ex monadum vi, qua semper ad alias aliasque conspirant repraesentationes, vis earum motrix resultat. Quin ipse, quo resultat, modus vis repraesentatiuae quoddam argumentum suppeditat. Namque si plura, quorum vires conspirant, vniuntur elementa, ista virium conspiratio vim praestabit motricem, quae in vi statum, immo situm, motandi consistit. Sed quaenam rerum conspiratio absque plurium consensu, quinam plurium consensus absque

que nifu ad certum quidpiam obtinendum, quinam denique nifus ad aliquod, absque repræsentatione eius, ad quod tendit, concipi vnquam potest? Sic vis quoque inertiae corporum ex nifu elementorum, ad seruandum statum et situm corporis, eruitur. Eadem nempe ibidem ad idem tendentia, eadem illius, in quam nititur, rei repræsentatio.

Res finitas in vniuersum omnes, euidetur est, manifestandae gloriae diuinæ causa factas esse. Nulla autem ratione gloria Dei magis illustratur, quam si omnes res, pro sua capacitate, simulacrum conditoris fiunt, eiusque gloriam aliis proferunt cognoscendam. Ad quem finem maxime conducit, quando vnaquæque res, quales et quænam sint reliquæ, ostendit, quando reliquarum omnium veluti speculum est, easque repræsentat. Inde sapientia dignissimum diuina fuit, elementis indere vim eorum essentiae respondentem, vim repræsentandi res materiales circumstantas, pro situ puncti sui, omnes; eoque ipso ceterarum rerum simplicium v. c. animarum humanarum brutarumque repræsentationes perficere, quo facilius ad maiores claritatis aut distinctionis gradus, illustrandae gloriae diuinæ causa, peruenirent.

Ista elementorum vis, quæ motum producit, ad vnicum agendi modum, sicuti ipse corporum motus, adstricta est, neque vltos, aut voluntarios aut spontaneos, prodit effectus. Eam ob rem perceptiones huic vi annexæ vnico tantum modo fiunt, nec eum in modum, vt in hominibus et brutis, mutantur. Vnicus ergo ille percipiendi modus alius, nisi infimi gradus, et necessarius esse nequit; quoniam perceptiones, quantumpotè claræ, multis iam modis variant, atque rem totam in diuersis admodum similitudinis relationibus cum aliis rebus exhibent; id quod de distincta rerum repræsentatione multo magis valet. Ad hæc, repræsentationes tam claræ quem distinctæ, cum apperceptione coniunctæ; eæ autem, in elementis, maxime obscuræ sunt, sine apperceptione vlla, sine conscientia vlla sui. Itaque vnico tantum modo sese exerunt, nec

quemquam alium, quam infimum, perceptionis gradum, qui obscuritatis est, admittunt.

In rebus materialibus aliae aliarum similitudines exhibent, atque imaginem praebent, quemadmodum in speculis, in vitris, in aquarum superficiebus, in lapidibus et generatim in corporibus duris atque politis accidit. Huiusmodi corpora alias extra se positas res materiales repraesentant. Nam, ex qua re perspicitur, qualis et quae sit altera, ea alteram repraesentare dicitur. Cuius adeo repraesentationis ratio, cum in corporibus inesse nequeat, sequitur, ut in elementis deprehendatur. A vero itaque haud alienum est, dicere, quamlibet corporis repraesentationem materialem et obiectiuam non esse nisi repraesentationum aggregatum, ex singulis elementorum istius corporis repraesentationibus compositum. Vnde, si quid iudicare possum, quodlibet elementum per vim percipiendi suam non nisi res compositas repraesentare potest. Qua de re Leibnitiuſ primuſ differens, perceptionem rei simplicis statum eius tranſeuntem nuncupat, qui multitudinem in simplici inuoluit. Sed res simplex, qua talis, realiter omnem ingredientium multitudinem repudiat; ergo tantuſ exhibitio similitudinis multorum, quae realiter extra ens simplex existunt, intelligenda est, id est, repraesentatio rei compositae in simplici facta. Ex quo intelligitur, cur nonnulli assimilationem eorum, quae sunt extra ens in eodem, repraesentationem vocauerint. Plura sunt, quorum similitudo exhibetur in simplici, plura ista extra ens simplex sunt, quod repraesentat.

Tantum ergo abest, ut facultas repraesentandi elementis abroganda, ut potius pro fundamento omnis, quae in simplicibus datur rebus, differentiae habenda sit. Namque vis generatim spectata omnibus rebus simplicibus communis est; sed id, quo differunt, modus repraesentationis est, quo altera simplicium species alteri praestat. Hinc repraesentationis modus necessitatem atque indolem vis in elementis repraesentatiuae satis profert. Et ipsae res
simplici-

simplices pro diuerso virium perceptiuarum perfectionis gradu in diuerfas abeunt species: quarum vna, vt ens simplicissimum, deus, res distinctissime et infinite, altera distincte tantum, alia non nisi clare, alia denique obscure, et ne clare quidem, repræsentat. Haec postrema repræsentandi ratio, quæ obscura penitus est, postremum repræsentationis gradum in simplicibus sistit, cui eam ob causam omnis eius perceptionis conscientia deest. Quo factum est, vt Leibnitius vim monadum perceptiuam quidem, sed sine apperceptione, monadesque generatim repræsentare, haud vero sibi repræsentare, pronuntiaret. Cuiusmodi repræsentationes vel exemplo animæ, rerum perceptuarum, quando non attendit, haud sibi conscientiae, probari potest, dari in mundo.

Vacuum in vniuersa rerum mundanarum serie haud reperiri, sed omnia tum corporibus, tum subtili rerum materia repleta esse, ab aliis sufficienter demonstratum est. Quam ob rem totus mundus repræsentationibus plenus est, cum vnumquodlibet elementum omnem rerum circumscriptarum compagem exhibeat, eoque pacto, de Leibnitii sententia, speculum fere vniuersi fiat. Quæ enim cumque res existunt, materiales et simplices, nexu inter se cohaerent: vt adeo repræsentatio vnius monadis quasi typus sit omnium repræsentationum ab aliis circumscriptis monadibus factarum, quarum tamen nexum et evolutionem solus deus perspicit. Hoc respectu omnino verum Leibnitii est assertum, vnamquamque monadem totius vniuersi compagem simul existentem repræsentare. Intellectus dei perfectissimus in tali monadis perceptione omnium rerum coexistentiam peruidet, et perspecto earundem nexu, integram rerum seriem intuetur. Verum enim vero, si in se spectatur monadis repræsentatio, ea non est, nisi earum rerum, quæ in monadem operari possunt, siue quarum neque distantia neque simplicitas repræsentationem impedit.

Vis repræsentandi elementorum, cum in potentia, præstandis perceptionibus pari consistat, vel in actiuam vel in passiuam, vt ipsa potentia, diuiditur. Per illam repræsentationes in simplici

nouae producuntur, mutato nempe statu, aut situ, aut vi ad alias semper aliasque res relata compositas; immo si per illam nouae non proferuntur perceptiones, tamen vis sine conatu repraesentandi, sine conatu nouas formandi perceptiones cogitari nunquam potest. Is enim repraesentationes producendi conatus insensibilis iam vis est, et nouas, si nihil obstat, formandi continet potentiam. Passiua autem repraesentandi vis in potentia recipiendi, retinendique perceptiones, nouumque earum admittendi statum consistit. Attamen quicquid per elementa efficitur, id vi eorum efficitur, neque quisquam cauillaturus actiones eorum, quae proprie ab vi proficiscuntur, ex eorum mera repraesentatione deduci cuperet, veluti ignarus, vim perceptione tantum determinari, fierique vni vel alteri elemento propriam, absque repraesentatione singulari, quae communis omnium esset. Accidit igitur, vt repraesentationem elementorum, essent, qui negarent, existimantes, motum omnesque corporum mutationes ex ea deriuari non posse. Sed hos monitos volo, effectus ex vi generatim et immediate oriundos, repraesentationi, tanquam causae, ne tribuant, neue temere seiungant, quae, nisi coniunctim sumi vnquam poterunt.

Plura non addo; neque lubet strictim persequi, quae pro descriptionis scopo praesentis generatim dicta sunt. Forte etiam obiectis occurrendum fuisset, quorum magna pars scriptis iam prostat, maior immo praesumi potest cogitatione. Sed hac cum laruis pugna explanatio praesens non eget. Rem valde obscuram, paucis perspectam, et a plurimis vocatam in dubium, qualicunque luce collustrasse, quam eius asserendae nullam plane attulisse rationem, fatius est. Leibnitium, dubium non est, ea, quae eam in rem hodie disputantur, acerrimo cum iudicio peruidisse omnia, tanti haud sibi visa, vt demonstratione corroboraret sua. Postea Bülfingerum, Hanschium, Canzium, Coruinum, et nescio quos alios, euoluere enim libellos in praesens non vacat, enodando huic metaphysices laqueo, constat, operatos esse, sed exiguo, vt memini, cum successu: namque
prae-

praeter Münchauffenum (*in Dissert. de elementis corporum seu atomis naturae* Goett. 1741.) et praeter Hanouium, auunculum meum, eundemque praeceptorem et patrem, (*Diss. discrimen virium rerumque simplic. §. 13 - 29. Disquis. p. 500. sqq.*) qui eum feliciter soluerit, arbitror esse neminem. Horum et ego argumentis, vbi opus fuit, usus sum, et alia subinde porrexi de penu mea. Quae quidem omnia proponere prolixius possem, et ad effectus mundanos sigillatim transferre; sed, propter breuissimi spatium otii, et vrgens clarissimi Magistri Respondentis iter, mihi non proposui, prolixius hic differere; praesertim, quum, quae disserui, facile transferri ad quaslibet in mundo mutationes atque effectus poterunt, si digna satis videbuntur, sin minus, nec per me quidem transferenda erunt. Quare diatriben lubens finio, dictorum saltem quamdam additurus anacephalaeosin: Vis elementorum, si, qualis sit? quaeratur, talis omnino esse debet, per quam illa er esse et explicari possunt, quae in corporibus rebusque materialibus insunt. Vnde alia esse nequit, quam quae in corpore, pro elementorum eius numero, ad vnum quidpiam obtinendum contendat, atque sic agat, vt vnum appareat compositum. Hinc vis motrix inde prodit, si vires elementorum actiuae conspirant; vis inertiae, si elementa ad istum potius, quam alium conspirationis modum comparata sunt. Vtraque virium haec conspiratio ad repraesentationis elementorum cognitionem et demonstrationem nos deducit; nisum enim supponunt, qui ex praevia repraesentatione rei, ad quam nititur, tendit. Vltimus, essentia cuiusque rei est primum, quod, vti in deo, sic extra deum est vis repraesentandi; per hanc vim, quae continuo alium in modum fieri debet, situs elementorum mutatur, et motus ipse producit. Denique repraesentatio obscura omnino in mundo datur, teste experientia de nostra anima eiusque deliquio aut statu in somno profundiore. Haec atque eadem simul sumpta satis ostendunt, vim elementorum, quae ex eorum essentia et effectibus deducitur, esse repraesentatiuam.



In nomine domini Amen. Quia cum in
 hoc mundo non est aliquid stabile
 nisi tantum solum deus. Et
 quia deus est incommutabilis
 et immutabilis. Et quia deus
 est in seipso. Et quia deus
 est in omni re. Et quia deus
 est in omni loco. Et quia deus
 est in omni tempore. Et quia
 deus est in omni re. Et quia
 deus est in omni loco. Et quia
 deus est in omni tempore. Et
 quia deus est in omni re. Et
 quia deus est in omni loco. Et
 quia deus est in omni tempore.

D B C